

eorum, de quibus in ipsorum subscriptionibus fit mentio, prout prima facie apparuit signata, coram reverendo in Christo patre ac domino domino Henrico Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopo sacri Romani imperii per Ytaliæ archicancellario presentavit et ad eius noticiam contenta in eisdem deduxit ac per me Iohannem quondam Gerlaci notarium subscriptum legi et publicari fecit de verbo ad verbum sub hac forma:

In nomine Domini amen. Noverint universi, presens instrumentum publicum inspecturi¹ — apposui requisitus et rogatus'.

Item:

'In nomine Domini amen. Noverint universi, quod — Treverensem archiepiscopum et rogatus'.

Quibus instrumentis sic lectis et publicatis, idem dominus . . Coloniensis archiepiscopus respondit, quod illustris princeps dominus Fridericus Dei gratia dux Austrie in Romanorum regem electus comparuit coram eo petens, cum die et loco certis apud Frankenford ad electionem Romani regis alias crastino beati Luce ewangeliste² prefixis ab illustribus dominis Rodolpho comite palatino Reni, qui ea vice habuit ex potestate sibi tradita dicti . . archiepiscopi et sui ipsius nomine eligere, ac Rudolpho duce Saxonie in possessione vel quasi iuris eligendi Romanum regem existente et Henrico duce Karinthie vero rege Bohemie in Romanorum regem canonice sit electus, et ad ipsum . . archiepiscopum iure communi et ex consuetudine antiqua approbata et pacifice observata a tempore, cuius memoria non existit, pertineat ungere et coronare regem Romanum, quod ipsum curaret ungere et coronare; et quod ipse . . archiepiscopus, cupiens sic sibi officii sui debitum in hac parte impendere, quod alterius ius non ledatur, dixit se prefixisse diem coram eo ad crastinum beate Cecilie proxime venturum³, citando ipsum dominum Ludovicum, qui se dicit in Romanum regem esse electum, et quoslibet alios, qui sua super hoc dixerint aut crediderint interesse, docturos de iure suo si quod habent in electione et coronatione predictis ad hunc finem, quod si ipsum dominum Ludovicum invenerit potius ius in electione predicta habere, ipsum benigne recipiet et tractabit sibi paratus erit facere, quod ex officio suo tenetur; sin autem,

1) Die beiden Instrumente sind nicht wieder zum Abdruck gebracht. Die Varianten sind bei der vorigen Nummer unter 2 notiert.

2) Oct. 19. 3) Nov. 23.